







ΣΥΝΘΕΣΙΣ

Ex

# DEUTERONOMIO

## Disputatio X.

- I. De Atylis in politiâ divinâ.
- II. De terminis proximi non mutandis.
- III. De Testimoniorum numero, testium officio, & si fallant, pœnâ.
- IV. De Bellis piè gerendis.

*Ex 19. & 20. capp. Dent.*

*Ad cujus Themata*

*In Illustri Academia VVitebergensi*

PRÆSIDE

VVOLFGANGO FRANZIO

S.S. Theol. D. & Prof. publ. Præposito itidem templi arcis

*Respondebit*

VVILHELMUS MEIERUS NORDENSIS,

Illustrissimi Comitis Frisiæ Orientalis alumnus.

*Die 23. Aprilis in templo arcis Electoralis horis pomerid:*

WITTEBERGÆ

Typis Cratonianis, per Ioh. Gorman.

M. DC. VIII.

zan.  
ro.  
Ro-  
a ni-  
oso.  
Mo-  
mil-  
du-  
ra in  
s ni-  
qui  
s ef-  
psos  
ere,  
lum  
sima  
x o-  
tillâ  
on-  
tur,  
ena  
rgo.  
i &  
ua-  
m-  
in-  
tio.  
n &  
rtes  
oræ-  
qui





# Dedicatorium

*Illustri, Inclyto ac Generoso Domino,*

**DN. EDZARDO ADOLPHO**  
COMITI FRISIÆ ORIENTALIS, Do-  
mino in Esens, Stedesdorff, Vvitmund &  
Ritperg, Domino ac Nutricio suo  
clementissimo.




*Inclyte virtutum titulis insignis avitis,  
O Generose Comes, decus indelebile Stirpis,  
Frisiadum illustris, divarum sancte sororum  
Cultor, & antistes, studiorum magne meorum  
Mecœnas: placidè decerpas accipe fructus  
Ingenij primos exilis, qui tibi jure*

*Debentur summo. Siquidem Genitor generosus  
Ipse Tuus largè commisit semina agello  
Prima meo; pro quo grates haud reddere dignas  
Sufficient vires unquam; Dij premia quondam  
Debita persolvant, faxintq; ut Nestoris annos  
Inclytus Edzardus vivat, dulcesq; Camenas  
Provehat, & verâ Patriam pietate gubernet.*

T. Generositati  
subjectis:

**UWilhelmus Meierus.**







Συὸ Θεῶ.

THESIS PRIM A.



N 19. Capite Deuteronomij in

trium rerum deducimur meditationem, quæ sunt, 1. Asyla divinitus ordinata in Repub. Israelitica, ubi appendix conspicietur, de nō pervertendis terminis proximi. 2. Constitutio divina de testiū qualitate, & numero sufficiente. 3. Lex divina de pœna talionis.

II. *Ad asyla quod attinet*, ex DEI mandato Israelitæ civitates refugij pro terræ Canaan mediocriter capaci proportionem eligere jubentur, ut in eas fugiant innocentes, seu involuntarij homicidæ.

III. Et has refugij urbes omnes ordinare debuissent in terra Canaan, quæ Num. 34. à 1. ad 13. describitur: Verum postea easdem partim intra partim extra terram Canaan, seu promissam constituunt, nimirum tres in ipsa terra Canaan, Sichein in monte Ephraim, Kadeschin in monte Naphtali, Hebron in monte Iuda, tres ultra terram Canaan seu ultra Iordanem, Bazar in deserto seu solitudine, quæ sita est in terra campestri de tribu Ruben, Ramoth in Gilead, quæ est in tribu Gad, Golen in Basan, quæ est in dimidia tribu Manasse. Deut. 4, 43.

IV. Etenim Num. 32. Rubenita, Gadita & aliqui ex tribu Manasse, pecoribus admodum divites, (Sic ipsis in itinere quadraginta annorum largissimè, ut etiam reliquis benedixerat DOMINVS per desertum, Num. 32. 4.) Iordanem transire renuunt, sed terram pascuam hostibus ereptam, cis

*Argumentum capituli 19. Deut.*

*Non omnia peccata sunt paria.*

*Tria Asyle intra Canaan, tria extra terram Canaan.*

*Cur tria asyla extra terram Canaan fuerint constituta.*



Iordanem, in deserto desiderant, sibi que donari petunt. Quo ipso imaginem præbent, eorum, qui opum mundi occupantur, & implicantur impedimentis, de que celestis patriæ aditu & introitu non satis constanter sunt solliciti.

Non duodecim tribus ingrediuntur in terram promissam.

V. Etsi autem intra promissæ terræ limites divinitus constitutos duodecim simul tribus commodè post extirpatos hostes habitare potuissent: tamen *audacis & insolentis voti compotes facti sunt.*

VI. Non caruisse præsumptionem istam *periculoso scandalo*, utpotè unde ad metum, ad novam seditionem, ad defectionem reliquus populus totus, ( ut antea per exploratores ) commoveri facilimè potuisset, tota capituli 32. Num. series demonstrabit.

Causa eorundem multi Cananæi superstites, fuerint relinquendi vivi:

VII. Dederunt etiam illi ipsi omnium primi hac suâ petitione ( reliqui agrorum capacitatem majorem sperantes suâ conniventia ) occasionem, quod *non exterminantur subito inimici Cananæi omnes simul*, sed ( accedente demum tali consilio DEI ) *paulatim paulatim*: ( nè scilicet interea in locis desertis feræ multiplicentur, nimirum quia duæ tribus cum dimidia extra terram Canaan sibi sedes deputerant, Deut. 7. 22. )

VIII. His tamen extra terram Canaan urbes tres disponit Dominus, sicut in alijs novem hereditatibus intra terram Canaan, totidem ordinavit.

Æqualis distantia à primo ad secundum, à secundo ad tertium Asylum intra Canaan.

IX. *Intra terram quoque Canaan* Dominus ita procurat tales Civitates solatiorum, ut æquale sit spacium ab Hebron ad Sichem, à Sichem ad Kadesch, idque propter fugæ in periculo maturandæ commoditatem.

Asyla erant tanquam modo urbes Levitarum.

X. Sunt que *sex fugitivorum urbes omnes ex numero 40. oppidorum*, que Levitis assignantur Num. 35. 7. 13. Quippe ut omnibus informandis operam navare possint Israëlitis Levitæ, per omnes tribus disperguntur, plures per magnas, pauciores per parvas tribus: nulla enim est Respub. sine vero cultu divino.

Signi.



XI. *Significatur* apud verbi ministros refugium colloca-  
tum esse debere. Omnibus, qui conscientiarum torquentur  
angoribus.

XII. Sunt etiam asyla nec nimis parvæ urbes, nec nimis  
amplæ, quarum hæc planè abscondere & injustum occultare  
diutius, illæ verò profugum innocentem, ad versus furiosos  
inimicos non satis defendere possint.

XIII. Etenim Deuteronomij 19. 10. expressè tanquam ho-  
micidæ accusantur, qui homicidas involuntarios non decen-  
ter defendunt, nec à morte liberant.

XIV. Finis hujus ordinationis divinæ exprimitur Num.  
35. 11. 12. ut in illas fugiat homicida, qui jam ipse effudit  
innocentem sanguinem, sed per errorem.

XV. *Involuntariorum homicidiorum exempla sunt*, 1. Si  
quis servum baculo vel virga, corrigere in animum indu-  
cens, justæ tamen castigationis modum ita excedat, ut post  
aliquot dies vitam cum morte amittat miser minister: Hic igitur  
Dominus animū occidendi habuisse non videtur, quia  
servum pecunia sibi coemerat, quâ ipsâ sese non libenter  
spoliaret, Exod. 21. 21. 2. Siquis abit cum proximo suo in  
sylvam ad cædendum ligna, & ibi delapsum ferrum è ligno  
necat proximum, Exod: 21. 13. Num: 35. 22. Deut: 19.  
vers. 5.

XVI. Cognitio & iudicium non fit in civitatibus refu-  
giorum, sed in illis, in quorum terminis contigit factum, ut-  
potè ubi ex tota communione per iudices testimonia & cir-  
cumstantiæ causarum expeditiùs explorari, commodiusque  
& sufficientiùs considerari possunt. Num. 35. 12.

XVII. Quicumque igitur fugiunt ad illas urbes, illi tenen-  
tur sese sistere ad dicendam causam, ac si innocentes depre-  
henduntur, mox ad asyla remittuntur, ibiq; usq; ad mortem  
summi Sacerdotis, quasi in loco exilij, sibi met deputato, ma-  
nere coguntur.

*Asyla nec nimis  
magnæ, nec ni-  
mis parvæ urbes  
erant apud Isra-  
elitas.*

*Finis constitu-  
torum asylorum  
in Israel.*

*Ethnici ad imi-  
tationem hujus  
legis similia con-  
struxerunt asy-  
la, etiam pro  
alijs sceleribus,  
& pro debitori-  
bus, quæ Tibe-  
rius abrogavit.*

*Cognitio de ho-  
micidiis non fie-  
bat in asylis, sed  
alibi coram tota  
communione, à  
iudicibus.*

*Involuntarij &  
insones homici-  
dæ tamen re-  
mittuntur ad a-  
syla, non liberi  
dimittuntur.*



XVIII 1. *Quod non satis cautè cum fratre & proximo conver-*  
*sati fuerint, 2. Deinde, quod omnis effusio sanguinis etiam in-*  
*fortuitis, tamen cum horrore sit conjuncta, pœnaque qua-*  
*piam digna, 3. Præterea ut vitentur nova jurgia, & molimi-*  
*na nova, quæ ex cohabitatione ipsius inter amicos & consan-*  
*guineos occisi cooriri possunt.*

XIX Ideò autem præcisè usque ad obitum summi Sacerdo-  
tis exulant fugitivi & involuntarij homicidæ secundum  
quosdam, quia tunc temporis luctus exoritur communis, qui  
particularibus allevationem progignere solet.

*Matres sum-*  
*morum Pontifi-*  
*cum vota & su-*  
*spira exulum in*  
*asylis vehemen-*  
*ter metuunt.*

XX Ac quia sine dubio ejusdem mortem plurimi à Deo  
votis suis in diuturniore exc'usione exoptabant, vota verò ad  
DEUM adversus alios, præsertim, si peccatis sint obno-  
xij, non in vanum abeant, iccirco, referente ex Hebræis Pau-  
lo Fagio, summorum Pontificum matres sæpenumerò  
munera exulibus istis misisse perhibentur, nè adeò instanter  
filiorum mortem comprecarentur.

*Notò vel aperte*  
*vel clamdet*  
*causam alteri*  
*ingemiscendi ad-*  
*versum ipsum,*  
*quia tales gemitus*  
*accusant no-*  
*centem apud*  
*Deum, nec ca-*  
*set accusatio ta-*  
*lis eventus.*

XXI. Discant magni Domini, & quivis alij, nè vel jure inge-  
miscendi ad DEUM subditis aut alijs causas præbeant, nec  
etiam eorundem suspiria negligant. Notum est illud Syrac.  
35. 19: *Nonne lachrymæ vidua in genas ejus defluunt, & voci-*  
*feratio ejus adversus illum est, qui eas evocavit.*

XXII Typicè innuitur, nos omnes cœli habitaculis indi-  
gnos, & exclusos esse usque ad mortem *ἕως θανάτου* seu Pa-  
storum Principis, 1. Pet. 5. 4. Hebr. 4. 8.

*Exilium invol-*  
*untarius homi-*  
*cida nummis re-*  
*dimere non po-*  
*test,*

XXIII *Si extra fines asyli egreditur reus, à vindice impune oc-*  
*cidi potest, Num: 35. 27. 28. Præterea nullo ære exilium*  
*illud ante mortem summi Pontificis, oleo sanctitatis uncti,*  
*redimi debet & potest, Num: 35. 32.*

*Quando*



XXIV. Quando verò homicida excusationem sufficientem proferre non potest, non remittitur aut redire permittitur ad asylum, sed plectitur, imò convictus ex asylo & templo, & ab altari ipso summa vi abripi iubetur Exod: 21. 14. ubi itidem notari & aureis literis ante omnium urbium portas scriptum extare debet, quod Num: 35. extat, *Nè accipiat precium pro anima homicida, qui est impius ut moriatur sed moriendo moriatur.*

XXV. Atque mox, cur convicto numis redimere vitam non sit permittendum, sed potius omnibus viribus statim post legitimam inquisitionem mortis supplicium inferendum, hanc rationem DEUS adjicit, *neque terra expiabitur propter sanguinem, qui effusus est in ea, nisi per sanguinem illius, qui effudit illum,* Num: 35. 33. Psalm: 106. 38.

XXVI. Polluere autem terram nihil est aliud, quàm maledictioni divinæ eandem obnoxiam reddere, quod fit, quando voluntariorum homicidiorum autores non inquiruntur, nec magistratui Politico severè, & sub juramenti Sacramentis postulanti manifestantur, ut decenter puniantur, sed præter causam excusantur, & lucri causa defenduntur.

XXVII. Atque in maledictionibus divinis infra videbimus, quantas pœnas mereantur, non tantum delinquentes, sed etiam alij, qui non puniunt peccata, cum & possint & debeant, vel qui, nè puniantur prætextus inutiles, futiles & non prægnantes, cumque Lege divinâ non congruentes objiciunt.

XXVIII. Cum ergò nihil asylo profint voluntarijs homicidijs, discamus, nec hodiè ulla privilegia & immunitates à quocunque Monarcha donari debere seu *Studiosis in Academia.*

*Asyla nocentibus  
& verè reis nihil prodesse, & olim & hodie debent.*



demia, seu cujuscunque ordinis & superioritatis hominibus alijs, quæ pugnent cum Lege morali, quam naturalem vulgò vocant.

*Involuntarius homicida unde cognoscendus.*

XXIX. Præterea, quia ex diligentissima collatione textuum sacrorum Num. 35. & Deut. 19. apparet, *involuntarium seu casualem homicidam* definiri, qui proximum, quem tandem occidit, neque ab heri neque à nudiustertius oderat, adeoq; *voluntarium homicidam* perhibendum esse, qui ideo occidit, quod heri & à nudiustertius fratrem suum odisset: *usique quod in homicidijs vindicatur & punitur, precipuum est ira & odium hesternum & hodiernum erga proximum*, undè nimirum ad externam violentiam & cadem ipse homo proliijt.

*Voluntarius homicida unde cognoscendus.*

XXX. Ira antiqua probatur ex multis circumstantijs, quæ hostilem animum evincunt, ut *si tandem insidias struxit, sese armavit, spontè invasit, & hoc pacto cadem commisit, &c.*

*Ira antiqua in V. T. prohibita est, ira temeraria in N. T.*

XXXI. Quippè si abest ira hesternæ & hodiernæ, & nihilominus cædes intercudit, tunc innocentium classibus annumerari debet, qui impulerit proximum in aquam aut ignem, qui projecerit in eum quodvis instrumentum aut lapidem, qui cadere fecerit quidvis super ipsum, Num. 35. 22. 23. Deut. 19. 4.

XXXII. Et ad' oc idem respexit CHRISTUS Matth. 5. 22. quando omnem irascentem fratri suo (*cuñ, temerè, & non legitimo processu*) iudicio teneri pronunciat.

*Adversus Photinianos hodiernos, qui homicidas non occidit, sed majori excommunicatione excommunicant.*

XXXIII. *Photiniani recentiores* in Polonia, ut *Ostercodus Goslariensis* in scripto Germanico, comprehendente locos præcipuos communis doctrinæ Photinianæ recentioris, ut & alij, docent: in Veteri quidem Instrumento homicidas pœna talionis puniri consuevisse, sed in novo Instrumento homicidas capite plecti non posse nec debere.

*Objectio I. Christus abrogavit pœnam capitalem homicidiorum.*

XXXIV. Rationem afferunt primò hanc: *quia (inquiunt) CHRISTVS in N. T. vult discipulos & Christianos suos vitam vivere*



vivere perfectiorem & sanctiorem, adeoque homicidis ignoscere, unde Matth: 5. veteris Legis fervorem, corrigit & abrogat, cum ita ait: Audistis quod dictum sit antiquis, oculum pro oculo, Ego verò dico vobis, quisquis te ceciderit in dextram tuam maxillam, obverte ei, & alteram, hoc est, occidentibus ignosce.

XXXVI Verum enim verò oculum pro oculo poscere, etiam CHRISTUS nequaquam prohibet vel improbat, modo fiat apud iudicem, nec suscipiatur privata resistendi malo vindicta, quæ est prohibita illa repercussio Matth. 5. 38. 39. 40. 41.

XXXVI Illud enim in Novo quoque Testamento. Rom. 12. 18. 19. præcipitur, si fieri potest, quantum in vobis est, cum omnibus hominibus in pace viventes, non vosmetipsos ulciscentes, sed date locum iræ (scilicet DEI.)

XXXVII. HOC æquè etiam in Veteri inculcatur Levit. 19. 18: Non ulcisceris te, neque reservabis odium contra filios populi tui, sed diliges proximum sicut teipsum.

XXXVIII. Undè irrefragabiliter consequitur, non perfectiorem hanc esse Christianis promulgatam & præscriptam constitutionem, ne irascantur TEMERE, sed eam necessariam esse reformationem & vindicationem CHRISTI ab illis naxis, qui tunc aliquot seculis in hanc veterem veram Veteris Testamenti doctrinam irrepsert, ubi Legem tantum de externis crassis peccatis interpretabantur Pharisæi, Matth. 5. 19. & 15.

XXXIX. Huc pertinet, quod ibidem mox subjicit aliquot instituta correctionis exempla, scilicet, de vero intellectu præcepti, de non occidendo v. 21. de non mœchando, 27. de non repudiandis uxoribus, nisi propter turpitudinem inventam in ipsis 31. de quo utroque infra, de non peiorando, 33. de privata vindicta non exercenda 38. de inimicis odio non habendis 44.

Responsio: Etiam Novum Testamentum vult oculum dari pro oculo, Rom. 12. 18. 19.

SI FIERI non potest, petatur oculus pro oculo.

Etiam in Veteri Testamento cecidenti dextram debebant porrigere sinistram Levit 19. 18. quia odium servare non debebant.

Christus Matth. 5. non novas & rigidiores Leges Christianis præscripsit, sed Legis veterem & genuinam interpretationem contra Pharisæicas corruptelas monstravit.

B

Deinde



Obiect. 2.

*In initio homicida  
majori excom-  
municatione ex-  
communicati fu-  
ere,*

*Postea homici-  
de morti adju-  
dicati fuere.*

*Christus repeten-  
do confirmat  
legem antiquis-  
simam de occi-  
dendis homici-  
dis,*

*Uim vi repellere  
licet impune:  
sed in his casibus  
aliquis occurrit  
oseitantia seu se-  
curitas, quæ o-  
mnino est puni-  
enda.*

*Ratio relegandi  
in politica divina*

XL. Deinde quod inquit, Christum in Novo Testamento pœnâ homicidiorum veterem non repetivisse, illud laboriosa refutatione non indiget.

XLI. In initio mundi summam omnium scelerum, etiam homicidiorum pœnam fuisse excommunicationem majorem, exemplo Caini edocemur & fatemur.

XLII. Sed quia absque dubio hæretibus amplificandis & alijs injusticijs res illa antam non satis præscidit, quin novis aliquot eam porrexit, ideo DEUS suâ voce mox post diluvium solennem promulgat canonem *Gen. 9. 6. Qui effuderit sanguinem hominis, sanguis ejus effundetur, quia ad imaginem DEI fecit hominem.*

XLIII. Hanc Legem, Noachi tempore conditam, Christus non modo nunquã & nusquam abrogat, sed omnino ad verbũ repetit *Matth. 26. 52. cum inquit Petro: Convertite gladium in locum suum. Omnes enim qui acceperint gladiũ, gladio peribunt.*

XLIV. Eandem ipsam Legem Iohannes Apostolus & Evangelista *Apoc. 13. 10.* post ascensionem Christi repetit, & scriptam toti mundo relinquit, cum ait, *si quis gladio occiderit, oportet eum gladio occidi.* Ecce quam non modo non abrogetur, sed de novo in viridissimam, ut loquuntur, observantiã committatur & commendetur lex de homicidis per pœnam talionis, seu gladium mulctandis.

XLV. Sed ut jam tandem negocium de asylo concludamus, probè attendendũ venit, *involuntarij homicida tamen pœnam quandã satis gravem esse illã, quod in asylo, tanquã loco relegationis, perpetuò desiderare cogitur, id quod fit, non sine magno rei Oeconomicae detrimento,*

XLVI. Solent enim *in sacra scriptura* viri sancti *relegatione* illa animadvertere in homines noxios, ut reos patriæ finibus ejiciant, certoq; loco alteri destinant, adeò ut sub vitæ pœna illinc discedere, & in alijs urbibus vel intra vel extra provinciã liberè vagari non ausing.

si c



XLVII. Sic *Abiatharem Pontificem*, conspirantem cum Adonia contra regnum, Rex Salomon Sacerdotio privat, & in Anathot suburbanū prædium relegat, 1. Reg. 2. 26. 27. Sic *Simei Ieniniensem* Hierosolymis habitare jubet, neque torrentem Cedronem transire concedit, propter maledicta in patrem Davidem sparsa, ibid. undè cum Simei exacto triennio suos servos fugitivos Getham usque persequitur, propter violatum jusjurandum & propter inobedientiam interficitur.

XLVIII. Quæ relegationis & deportationis forma hoc præcavet, nè fures & mæchi ex loco commissi furti & adulterij expulsi alibi ad nova furta & adulteria, aliaque scelera liberimè redire possint.

XLIX. Quod autem Areopagitæ Oresten, (*qui sciens & volens interfecerat novercam*) quod item Martem (*qui simili modo Hallirothoum stupratorem filie sue necaverat*) absolverunt, quod item (*ut est apud Valer. Max. l. 8. c. 1.*) Smirnzam matronā (*quæ filium & maritū ex priore matrimonio conceptū, veneno sustulerat*) post centū annos cum accusatore redire jusserunt:

L. Illud perinde ab ipsis factum putabimus, sicut Num. 35. 19. 26. 27. in hoc ipso negotio de involuntarijs homicidis, de propinquo interfecti à Deo prædicitur, quod pro naturali furia & immenso doloris accensi igne homicidam, (si in eum incidat) sit ulturus: & quod ipsi istud imputari ideò non debeat, quia jam antea reo fugam, & asylum tanquam competens remedium est prædestinatum, qui reus sibi ipsi deesse non debet.

LI. Cum autem D E U S tunc cognato culpam interfecti homicidæ non imputet, quando is judicia nulla extimescit, & in alijs terris liberrimè negociari in animum inducit suū, nec sub alijs magistratibus cogi, & in ordinem reduci potest, ideò nemo ex nostris hominibus in cognati sui interfectore similem hodie licentiam sibi indultam esse opinetur.

LII. Sic igitur absolverunt Areopagitæ, quos justissimis similibus doloribus illa facinora designasse cogitaverant, conivendo & permittendo potiùs, quàm de innocentia pronunciando.

*Exempla relegatorum in sacra scriptura.*

*Similia exempla apud Ioseph. lib. 17. cap. ult. & 12. cap. 19. de Achelao & Herode relegatis: Ita fuit relegatus Ovid.*

*Magna circumspectio in veteri relegatione.*

*Areopagitarum decisiones mirabiles.*

*Reus non statim fugiens interficiebatur à propinquo sanguinis impune.*

*Hodie non licet propinquis necare cæsores cognatorum suorum.*



LIII. Porro in cap. 19. Deut. cum constitutione DEI sacratissima de asyis, conjunguntur duo: alterum de terminis proximi non transferendis; alterum de Testibus.

Appendix 1.  
cap. 19 de terminis proximi non transferendis.

LIV. Nicolaus Lyra existimat, ideo in hoc ipso capite appendicem de non pervertendis & clam fraudulenterque per avaritiam immutandis metis agrorum proponi, quod istiusmodi facinora potissimum eo tempore usu venire soleant, cum exules à patria sua & ab agris suis absunt, interimque non habent custodes solertes, qui damno hereditatis suæ prævideant.

Pœna transferentis terminos agrorum.

LV. Deut. 27. 17. gravissima subjicitur adversus hanc fraudem pœna his verbis: *Maledictus qui transfert terminum proximi sui, & dicet universus populus Amen.*

Causse cur Deus terminos proximi transferre prohibuerit.

LVI. Vult enim Deus dominiorum distinctionem & bonorum proprietatem, (olim apud Israëlitas sorte, hodie singulari ipsius providentia inter homines ubique locorum divisam) sanctè constare, adversus omnes dolos, non tantum manifestos, sed etiam clandestinos; Vult etiam, ut in captivos, exules ac similes, verbi causa, decumbentes, peregrinantes, nullam usurpemus privatam vindictam, ab alienando apertè vel occultè servos, furando legetes, lædendo pecora, utensilia, ædificia, sepimenta, vel si qui alij possunt excogitari modi.

Appendix 2.  
De Testibus.

LVII. Postremum in c. 19. Deut: membrum de Testibus; quanquã ad negocia homicidiorum decidenda in specie profertur, tamen in genere ad omnes alias causas ritè dijudicandas applicari potest & debet.

LVIII. Nihil autem crebrius accidit, quàm ut falsis rumoribus onerentur, & confictis testimonijs evertantur, aut ad minimum suspecti reddantur innocentes, id quod docet exemplum Iosephi, Gen. 39. Mephibosethi, 2. Sam: 16. 3. & 19. 26. 27. Nabothi, 1. Reg: 21. Ieremiæ apud ipsum cap. 37. 14. 15. CHRISTI, Matth. 26. 60. Stephani Act. 6. 13. Athanasij apud Socratem lib. 1. c. 27.

Ante



LIX. Ante omnia igitur DEVS monet, nè in ulla uspiam causa singulares admittantur testes, sed ad minimum duo vel tres inquirantur *Deut: 17. 6. & 19. 15.*

LX. Quia cum *tot* homines, præsertim *non propinqui & consanguinei, non corrupti, non alijs quibusvis modis suspecti,* non conjunctim & in præsentia singulorum singuli, sed *seorsim* (ut facit Daniel in negotio Susannæ) & *secundum omnes circumstantias*, adhibito sale *sapientiæ*, (ut facit Salomon in judicio de duabus meretriculis) inculcata item subinde *καθ' ὅπως & præsentia*, & si fallant, *pæna* grandis certissimò securæ denunciatione, probè sufficienter examinantur, omninò nuda, simplex & pura veritas in apricum producet.

LXI. Ergo quando in peregrinis negocijs etiam magni viri singulare testimonium non attenditur solum, is (*propter hanc ordinationem divinam*) nequaquam illud ad suam injuriam interpretabatur.

LXII. Quando verò aliquis contra seipsum testificabatur extra omnem suspicionem erroris & fraudis sublevantis alios, ibi *unius ipsius testimonium sufficiebat.*

LXIII. His igitur rationibus in scelerum inquisitione & cognitione populum suæ politiæ uti voluit Deus, quas alia gentes utiliter & sapienter imitatae fuerunt & imitantur.

LXIV. Quæ enim *Num: 5.* prolixè instituuntur, *de probanda muliere, quam maritus de adulterio suspectam habet, per aquas amaras*, ea apud alias gentes usurpari nec debuerunt, nec debent, sed intra solam Politiam Mosaicam locum habuerunt, utpotè ubi erat Sacerdos propriè sic dictus, ubi fiebant oblationes super altari, ad hunc usum destinato *Num. 5. 12. 15. 16. 17. 18. 23. 26.*

LXV. Nec quicquam possunt illæ ad defendendas eas, quæ postea sine peculiari mandato divino introductæ fuere *pur-gationes*

*In Politia divina de singularis testis expositione nemo damnatur.*

*Unius testis in Politia divina quando suffecerit Luc. 19. 22. & 22. 71.*

*Probatio mulieris per aquas amaras fuit tantum Politia Mosaicæ propria, nec usurpanda extra eandem.*

*κακοζήλια periculosa.*

B 3

gationes

Elfa-

ap-

per

stius

ant,

non

zvi-

frau-

num,

onori

ipius

con-

ed e-

simi-

ufur-

eculte

adifi-

ibus;

epro-

ican-

umo-

ut ad

et ex-

19.

4. 15.

apud

Ante



gationes per ferrum candens, per gestationes vel calcationes ignitorum vomerum, ad contactus oleorum vel aquarum ferventium, ad firmandas probationes veneficarum super aquas, nihil ad roborandam consuetudinem vel reos, vel suspectos superinducendi super cadaver occisi, & quæ his similia excogitata accepimus.

*Investigatio per sortes est illicita.*

LXVI. Quæ etiam *Ios. 7.* fiunt explorationes per sortes, ex quoque speciales & extraordinaria censerentur debent: quæ *Iona 1.* leguntur ab Ethnicis usurpatæ, sortes, supra sunt explicatæ.

*Testes examinandi coram Iehova*

LXVII. Altissima autem mente repositum servabimus illud, quod *Deut. 19. 17.* testes jubentur examinari coram Iehova, h. e. in præsentia non tantum Politicorum, sed etiam Ecclesiasticorum, à quibus de pœna perjurij & vindicta divina commoneant, sicq; in conscientijs pulsentur vel fricentur.

*Testibus pericula perjurij sufficienter & severe demonstrari, & si fallant, certò certius prænunciari debent.*

LXVIII. Etsi autem in Monarchia Romana judicijs quibusvis non intersunt tum Ecclesiastici, tum Politici, attamen methodus illa nihilominus probè, sed analogicè observanda veniet.

LXIX. Nisi enim de se & de alijs vel veritatem reticentibus, vel falsitatem pronuntiantibus, si contrarium postea prodiderit Deus alijs rationibus, pœnas minutaris Politicas, & imprimis maledictionum divinarum certissima & severissima prædicis fulmina, idque in quibusvis judicijs, & potissimum in matrimonialibus promissis, in stupris & alijs extorquendis, profectò in hac exulceratissima mundi pravitate, ubi solum viget illud, *si fecisti nega*, pessimè non rarò decernes, & alterutram partem per tuam somnolentiam, socordiam, & imperitiam gravissima afficies injuria.

*De torturis nihil habet scriptura.*

LXX. De questionibus per tormenta nihil habet Lex divina, quamvis hominibus, ut sæpius audiunt, durissimæ cervicis prolata, & ea quoque sapientissima.

LXXI. Qui in Novo Instrumento *Matth. 18. 34.* nominantur tortores, ij non latentem veritatem inquirunt, sed tanquam executores divexant confessos, ut de debitis citius persolvendis cogitent. Alioquin



LXXII. Alioquin etiam, *quia maleficos* ipsos cum imnixa misericordia punire, *Deut. 25. 3.* docemus, & *quia per se valde periculosa* sunt torturæ, ad quas scilicet multi nimis temerè profiliunt, *quia item multos* etiam dolor mentiri coëgit, quod postea ab alijs patratū fuisse nimis serò tristissima docuit experientia, ideò ab Augustino *lib. 9. cap. 6.* de Civit. DEI vehementer improbantur, & à Ludouico Vive super illum locum Augustini Ethnicorum inventis annumerantur.

Augustinus questiones per tormenta improbat.

LXXIII. Rectè autem ipsæ quoque *Leges Civiles* sine dubio propter easdem causas *parcè & cautè* circa easdem versandum statuere necessum habuerunt, & *alia requisiverunt indicia necessaria*, quibus præsuppositis fermè sine tormentis ad finem inquisitionis felicitis deveniri queat.

Legum Politicarum circa tormenta moderationes.

LXXIV. Rectè quoq; eadem confessiones reorum per tormenta exactas pro exploratis factis recipere & punire prohibent, *nisi cum res ipsa ita fuerit deprehensa, sicut reus confessus fuit*, sicut *Iosue 7.* non priùs de Achan, quantumvis deprehenso & facinus confessio, sumitur supplicium, nisi post emissos ministros ad tabernaculum ipsius Achan, qui absconditum furtum investigarent, & ad totam communitatem Israëlitis congregatam afferrent.

Confessiones reorum in tormentis, quo loco sine habende.

LXXV. Si ergo in arduis & urgentibus adhibentur, sed sapienter juxta constitutionem criminalem Caroli V. *num. 54. & 60.* tum & ibi quoque & in cæteris quibusvis pientissimè fiet, *si tamen potestas respondendi per se & per Advocatos utriusque* sufficientissimè data fuerit, actori, reo, &c.

Iob. 7. 11.

LXXVI. Quod si neque per testes, neque per alias rationes, revelata fuerint delicta, tamen nemo in eam concedat sententiam, *quasi postea omninò impunita manere debeant.* Novit enim DEUS modos plurimos vindicandi occulta, sive fiat in hac vita serò quandoque, ut testatum dat experientia, sive in altera vita. *Huic ergo tunc temporis tales casus soli commendemus.* DEIN.

Quid faciendum si nec per testes, nec per tormenta explorari delicta queant.

gnis  
enti-  
nihil  
erin-  
ac-  
ca  
na l.  
x.  
lud,  
h.  
siaz  
om-  
svis  
ho-  
iet.  
vel  
deus  
icti-  
id-  
bus  
ex-  
se-  
em  
vis-  
na,  
icis  
an-  
an-  
er-  
uin



Qui nam in Po-  
lisis Mosais  
sumserint suppli-  
cia de reis &  
noxius convictis.

Quam multipli-  
citer & graviter  
peccent testes  
falsi.

Quando totus  
populus lapida-  
verit.

Act. 7. 58. 59.

Olim honoratiffi-  
mi & fidedi-  
gnissimi quique  
de damnatis sup-  
plicium sumse-  
runt.

Speculator missus  
ad decollandum  
Iohannem Bap-  
tistam.

LXXVII. DEINDE decernit DEUS, ut non alij sen-  
tentiam Iudicum exequantur, sed ut ipsimet ipsimet testes  
primò hac in parte operam suam navent, sive comburendus,  
sive lapidandus, sive suspendendus, sive decollandus fuerit  
noxius & convictus.

LXXVIII. Hac consuetudine multorum (*modò non extrema  
& diabolica laborarent malitia*) linguæ futiles compescebantur,  
ut ideo à mendacijs in proximum sibi temperarent, nè  
una vice in Deum tanquam præsidem judiciorum, in iudicem  
ex ipsorum depositionibus decernentem, in accusatum fra-  
trem, ex ipsorum verbis condemnandum, & in seipsos, quibus  
pœnas perjurij certissime secuturas attrahunt, peccarent.

LXXIX. Si testes noxium non statim interimebant, tum  
demùm totus cœtus sequebatur, saxa in eundem conjiciens,  
ut hoc quoque factò omnes & singuli discerent odisse peccata,  
& execrari in tempestivam benevolentiam erga maleficos.

LXXX. Ex his igitur illud apparet, in populo DEI non fu-  
isse personas publicas ejusmodi, quales nunc reperiuntur, liqui-  
dem vel testes, vel totus populus, immò ipsi Reges & Principes  
per se & per Consiliarios, aut alios servos, prout quemque ad ma-  
num habere poterant, de convictis & malis supplicium sumebant.

LXXXI. Id quod testantur exempla Mosis & Levitarum Exod.  
32. 26. & seqq. item propinqui sanguinis, Num: 35. 21. Gideonis  
Iudic. 8. 20. 21. Doëgi, 1. Sam. 22. 17. 18. puerorum Davidis,  
2. Sam. 1. 5. & 4. 11. Beniahu filij Iehojada 1. Reg. 2. 25. 29. & c.  
Item aliorum 1. Reg. 18. 40. & Eunuchorum. 2. Reg. 9. 32. 33.

LXXXII. Et Marci 6. 27. ἀπεκλάτωρ missus ad decollandum  
Iohannem exponitur ab Interpp. pro satellite à gerendis spi-  
culis dicto. In bello olim Sacerdotes Germanorum etiam in  
fontes animadvertisse ex Tacit. in Germ. citant eruditi.

LXXXIII. Nequaquã enim ignominiosum, sed honestissimũ  
habitum fuit illud, *sumere supplicium de fontibus*, adeò ut Mo-  
ses Exod. 32. 26. in interfectione Israëliitarum *μοχάλητες ὄν*, cum  
Levitis manum Deo consecrasse perhibeatur. Unde



LXXXIV. Vnde posterioribus temporibus de officio per se & sua natura perhonesto & plusquam necessario qualiscunque exorta fuerit opinio alia, historicis & ICTIS considerandum porrigimus.

LXXXV. Quærit insuper *D. Lutherus* in Comment: super Deut: quid consolationis esse debeat illi, qui utriusque aut plurium testium falsitate perire cogitur, & respondet, illud malum inter ea numerandum, quæ civi à cive sunt expectanda, qualia sunt, incendium, pestis, contagio, bellum & quævis alia.

LXXXVI. Sed tamen & tunc contrarium demonstrare allaborabit contra vicinos falsos testes, in omnem eventum causam DEO justissimo vindici committet patiens, memor illius *Prov. 19, 5. 9. Testis mendax non erit impunitus, & qui loquitur mendacia peribit.*

LXXXVII. DENIQUE de testibus mandat DOMINVS, ut in falsitate deprehensi eam luant pœnam, quam fratri innocuo seu innocenti struere cogitaverunt, idque sine omni misericordia & dispensatione, reliquis in exemplum, ut nocendi affectio & improbitas in aliis coherceatur.

LXXXVIII. Ergo quandoq; occidebantur, quandoq; alijs pactis plectebantur falsi testes, nimirum, qui data opera scientes, volentes, & animo maligno deceperant & quibus omnis excusatio ignorantia aliorumque caluum adimebatur. Alijs enim medijs ignorantia & similibus casibus obviatum fuisse, annotant interpp.

LXXXIX. Ex hujus autem Legis ratione de pœna falso- rum testium repetitur, & applicatur generalis regula de pœna talionis, quæ extat, *Exod: 21, 2. & seqq: & Levit: 24, 18. 19. 20. nimirum ut qui maculam dederit in proximum suum, secundum quod fecit, sic quoq; patiatur, fracturam pro fractura, oculum pro oculo, dentem pro dente.*

*Carnificum officium per se honestum maculas accepit ex accidentibus.*

*Questio D. Lutheri quid consolationis restet ei, qui falsis testimoniis pregravatur.*

*Pœna falso- rum testium in lege divina.*

**DE PœNA TALIONIS.**

*Amputanti manum alterius vicissim debet amputari manus.*



*Pœnam talionis in lege divina non inflixit læsus seu accusator, sed iudex aut a iudice hanc ad rem ordinatus.*

*Quando tō pōtō in pœna talionis fuerit observatum, quando verò illud non fuerit observatum.*

*Cur interdum tō pōtō in pœna talionis in lege divina observari non potuerit.*

*Deus ipse in puniendis hominibus nullam methodum aliam plus sequitur omni tempore, quam illam de pœna talionis.*

**XC.** Vbi principio annotetur, hanc pœnam seu vindictam non fuisse illatam à læso, idque privata autoritate. Etenim tam sanctè à privato vindicandi semetipsum proposito temperare sibi debebat offensus Levit. 19. 18. ut paratus esse jubeatur, potius novas & plures ab adversario expectare & tolerare injurias, quam vel unam saltem privato ausu retribuere.

**XC I.** Strictè etiam servabatur hujus Legis τὸ πῶτον, nec poterat Iudex dispensare & misereri, si læsus cadere nollet: *sin verò læsus* de rigore desisteret, & intercederet, aut si pecuniam pro illata injuria peteret, accipiebat, sed quantum Iudices taxabant, teste Iosepho lib. 4. cap. 8. antiquitat. & Lyra ex R. Salomone Exod: 1. 21.

**XC II.** Iudices autem sine dubio diligentissimè expenderunt omnes circumstantias, *num sciens, an inscius, num volens vel invitus aliquis aliquid fecerit, num alter, qui pati aliquid debet, firmus sit vel infirmus, vivere possit, aut non supervivere possit, num pro uno oculo eruto illi qui duos habebat, eruendus sit unicus ipsi unoculo &c.*

**XC III.** Hunc justitiæ divinæ sanctissimum canonem non modò in politicis pœnis quotidie à Iudicibus observari voluit DOMINVS, verum ipse quoque in suis judicijs erga peccatum publicis & privatis tenacissimè secutus fuit, sequitur & in omnia tempora sequetur, ut verissimum esse, omnium seculorum proclamet experientia, *pœnam talionis DEO esse familiarissimam.*

**XC IV.** Gen: 4. Cain occidens fratrem rursus occiditur à Lamech, teste & explicante Lyra, super illud ipsam caput. Gen: 9. effundens sanguinem rursus debet pati effusionem sui sanguinis. Sic quia Genes. 37. Ioseph nullam potest misericordiam impetrare à fratribus, tandem ipsi ab eodem frustra petunt misericordiam Gen: 42, 21. id quod  
ibi-



ibidem sese agnoscere & lurre apertis verbis profitentur. Et quia ibidem Iosephus frater pro servo à fratribus venditur, ideo ipsorum posterì vicissim in Ægypto servire coguntur. XCV. In Exodo Pharaò in marinis aquis suffocatur, qui & ipse antea infantulos in aquam submergi iusserat. Davidis concubinas contaminat Absolom, quia David antea alterius uxorem coinquinaverat. Et Adonibezecho *Judic: 1.* præciduntur pollices, quia ipse idem fecerat *70.* Regibus sub mensa sua.

XCVI. Sic DEVS minatur, *se obturaturum aures coram eo, qui aures suas obturavit, ad clamorem pauperum Prov. 21.* Et, qui alios abduxit in captivitatem, idem vicissim abibit in captivitatem *Apoc: 13, 10.*

XCVII. Hinc etiam Regulæ *Sap: 11, Per qua quis peccat, per eadem punitur & ipse & Luc: 6, vers: 38.* Quâ mensura mensuraveritis alteri, eadem mensurabitur & vobis.

XCVIII. Sic apud Aristotelem *lib: 7, cap. 6. Eth: ad Nicomach.* à patre verberatur, qui patrem quoque suum verberaverat.

XCIX. Et quidem quandoque ultrices suas iras differt DEVS in annos multos, inque posteritatem, quando iisdem facinoribus delectatur: Solet autem tunc tarditatem gravitate & compensare, & confirmare illud tritum: *DEUM habere laneos pedes, sed plumbea brachia.*

C. Testimonium autem plus quam illustrissimum præbet hæc talionis pœna, quod DEVS omnia & singula singulorum etiam abscondita delicta viderit, annotataque in memoria sua divina vivacissimaque eo usque gestaverit, nuncque demum castigationem moderari ita cœperit, ut eadem patiantur homines, quæ fecerant ipsi.

Misericordes vicissim misericordiam consequentur: immisericordes erga alios vicissim ab aliis immisericorditer tractabuntur.

Omnis historia sacra & profana, scateat exemplis quod per quæ quis peccat per eadem vicissim puniatur, & quidem, quod quod tardius peccata hominibus compensat, eò gravius puniat DEVS.

Quid ex pœna talionis divinitus quotidie immissa discendum.





*Argumentum  
capitis 20. Deut.  
1. Sacerdotes de-  
bent simul egredi  
ad bellum, docen-  
di causa, non pu-  
gnandi gratia,  
nisi in summo ca-  
su necessitatis ut  
fecit Jonathas &  
Simeon in libris  
Maccab.*

*Bella nisi licita  
sunt summo in-  
gradu turpia.*

*Photiniani in  
Polonia & ali-  
bi hodie magni  
sonatibus contem-  
dunt, nulla bella  
Christianis esse  
licita vel conce-  
denda &c.*

CI. **C A I V T** Deut: 20. comprehenditur regulis, quæ in bellis, sanctè salubriterque gerendis, observari debent.

CII. **PRIMA** pertinet ad officium *classici Sacerdotis*, seu *castrensis Concionatoris*, quod est, docere milites, nullam exercitus hostilis armaturam vel multitudinem nocere posse piis confidentibus in Domino, secundum beneplacitum ipsius vitam suam componentibus, causam justam foventibus, & bona spe pro religione proque justitia pugnantibus.

CIII. **U**tique pietatis studium, si unquam, in bellis sanctissimè colendum est, quod nunquam & nusquam magis periclitetur privata & publica, temporalis & æterna, omnium & singulorum salus, atque in ipsis bellis.

CIV. **A**ntè omnia etiam militum gregem informet præceptor castrensis de fine belli, quod nimirum bellum nihil aliud esse debeat, quam publica quædam & necessaria licitaque defensio vel vindicta.

CV. **N**è enim vel amicis innocentibus bella inferantur, vel sub ficticijs prætextibus hostes aliqui falso proclamantur, *quaternis vicibus, vers: nimirum 1. 3. 4. 4. mentionem facit D E V S, INIMICORVM TVORVM aut VESTRORVM,* ut scilicet, caput & cardinem totius negocij in hoc collocatum, meminerint omnes, ut in bellis causam habeant justam, qua de re postea plura, neque fingant adversarios, qui non sunt adversarij.

CVI. *Anabaptista pleriq; & Photiniani hujus seculi, ut Ostorodius in Unterricht / contendunt, omnia bella simpliciter esse mala, olim quidem à D E O permilla Judæis, sed Christianis in N. T. penitus interdicta Matth. 5. Quam sententiam defendit etiam Erasmus Rotorodamus super Luc. 2. & 2.*

CVII. *Addunt etiam, quod omnes Principum & Rump.*



rump. controversiæ sat commodè pacificis tractationibus componi queant, adeo, ut ne semel vel minimo opus sit bello.

CVIII. Deniq; suadent, si etiam nullus tranquillis pacificationibus locus ab adversario relinqueretur, ut potius pij de suo jure cedant, quàm tam periculosis & dubijs modis seque suaque omnia committant.

CIX. Verum, quia *Matth: 8.* non reprehenditur Centurio, qui sub se milites habuit, qualis etiam fuit Cornelius *Act: 10:* item, quia *Luc: 3, 14.* Salvatoris nostri præcursor, Ioannes, milites non jubet deserere militiam, sed, neminem concutere & contentos vivere stipendijs suis: quia etiam, annotante adversus Manichæos Augustino lib: 22. cont: Faustum, c. 74. CHRISTVS jubet reddere Cæsari, quæ sunt Cæsaris, nimirum tributa, undè tum militi stipendia, proptre necessaria bella, dabantur: quia itidem Apostolus *Rom: 13, 4.* gladio indutum magistratum nominat ministrum DEI: quia denique longa alia est sententia dicti Christi *Matth: 5.* nimirum superius exposita, equidem non viderimus, quomodo bella in N. T. Christianis penitus interdita perhiberi debeant.

CX. Alterum illud, videlicet, omnes nervos intendendos esse; ut pacifice sine bello sopiantur dissidia omnia inter Principes & Resp. quas cunq; maximoperè probamus, cum nūquam videamus leones aut dracones, inter se, talia bella gerere, qualia homines, August: de Civ. DEI c. 12, 22. sed, quod illud semper fieri non possit, neque negare audebunt adversarij, nosque ipsi annis benè multis exempla cum dolore conspeximus.

CXI. Ultimum istud, potius de jure suo pijs esse cedendum, quam vel bellandum vel rebellandum, iudagine penitiorè indiget.

An bella in N.T. sint Christianis simpliciter interdita.

Magistratus gladio indutus est minister Dei.

An secundum Photinianos omnes controversiæ politicae sine bellis componi queant.

Quid Photinianis respondendum sit ad illud quod potius debeant Principes de suo jure cedere quàm bella movere.



*Dæmones mul-  
torum bellorum  
autores sese in  
bellis manife-  
stant.*

**CXII.** Interdum ex levibus occasionibus & levibus de  
caulis agitata fuisse, & agitari prælia cruenta nemo negabit,  
nemo etiam excusabit, *utpote*, in quibus gravissima pecca-  
ta commiserunt, tum qui *authores* fuerunt, tum qui *partibus*  
*quibuscunq;* promiscuè & sine discrimine *militarunt*, utriq; con-  
tra conscientiam, tantum animo & spe augendi territorii &  
patrimonii, ex injusta privata vindictæ, prædandi, nocendi,  
cupiditate, ex gloriandi, dominandi & vincendi sola inani-  
que libidine. Nec dubium sit, multorum ejusmodi bellorum  
primas causas esse dæmones, qui & inter pugnas sæpenu-  
mero larvati cum magno fragore configere visi fuerunt, apud  
August: de Civ: Dei lib: 2, c. 25.

**CXIII.** Verum sæpenu-  
mero incidunt tempora & ca-  
sus, ubi *mala pax justo bello est deterior*, verbi causa, cum re-  
ligionis Christianæ expellendæ sed Turcicæ vel falsæ alteri-  
us superinducendæ agitur negotium, sive apertè, sive per  
cuniculos: cum item morum castorum & justiciæ fidelitatis-  
que promissæ periculum manifestum sese exerit, & quæ his  
dici queunt alia cognata. Ibi ergo necessario ad bella est de-  
scendendum.

**CXIV.** Et militare potest infideli fidelis, in causa civi-  
cæ pacis, vel in alia, quæ modo non est contra DEVM,  
vel utrum sit, certum non est, (*Sæpè Regem fortassis reum  
facit, iniquitas imperandi, militem innocentem ostendit ordo  
serviendi, inquit Augustinus.*)

*De facto Davi-  
dis pro Ethnicis  
adversus Israeli-  
tas ad bellum e-  
gredientis.*

**CXV.** Quod autem 1. Sam: 27. & 28. & 29. David ad  
Regem Ethnicum Achis fugit, & cum eodem egreditur in  
bellum adversus Israelitas, *illud non omnino excusari potest,  
nec prorsus damnari:* Fuit enim singulari providentia ita  
guber-



gubernatus eventus, nè conscientiam gravius David saucia-  
re cogeret. Ideo hoc exemplum frustra prætendunt, qui  
Turcis adversus Christianos suas vendunt manus.

CXVI. Posthæc militum gregem Castrensis Doctor se-  
dulo & subindè hortetur ad DEI seriam & castam invoca-  
tionem, & hanc ad rem seligat textus idoneos & competen-  
tes, ex libris Iudicum, Samuelis, Regum & imprimis illum de  
*omnium bellorum in Bibliis primo, in quo plures vincuntur à  
paucioribus Gen: 14. 14. & seqq: sicut etiam fit 2. Par: 14. in  
bello inter pium Asa & Æthiopes, item illum 2. Par: 20. Et  
quando causa justa est, ibi pugna non nostra, sed DEI di-  
cenda est, id quod ducibus & militibus in summo periculo uni-  
cam & maximam præbebit consolationem: item 2. Par: 32. &  
præ aliis Exod: 17. 2. Reg: 6. de Elia, & ex iis de fide  
in DEVM principaliter, deque precibus pro victoria  
impetranda fundendis conciones instituuntur.*

CXVII. Victoria enim & pax sunt solius DEI do-  
na, & bellorum tempora ab ipsius arbitrio, justo judi-  
cio & clementi misericordia ita unicè dependent, ut cum  
vel consolari, vel atterere vult generis humani provinci-  
as aliquas, penes eundem solum situm sit, *quando alia citius,  
alia tardius finiuntur, quando aliqui occumbunt aliqui verò  
eripiuntur & superstites servantur.*

CXVIII. Agnoverunt illud ipsum Ethnici ex  
incertissimis & insperatissimis bellorum eventibus, etiam  
justè susceptorum, unde *Martem vocarunt ἀποπέοια-  
λον, & à DEO victoriam quærendam proclamant.* Sic  
enim *Livius lib: 5. dec. 1.* Bella absque DEI invocatione  
suscepta sunt infelicia. Et *XENOPHON lib: 3. de  
pædia Cyr: Nihil in bello nisi prius invocato DEI numine  
aggre-*

*In primo bello  
Biblico plures  
vincuntur a pau-  
cioribus.  
Textus castren-  
ses.  
Iusta bella de-  
bent vocari  
BELLA  
DOMINI.*

*Vera causa feli-  
citatæ & infeli-  
citatæ bellicæ.*

*Mars ἀποπέοια-  
λον.*



SECUNDA  
REGVLA,  
DE BEL-  
LIS.

1. Ex bello ante  
pugnam dimit-  
tendi.

2. Ex bello ante  
pugnam dimit-  
tendi.

Omnes arbores  
tribus annis e-  
rant præputiatae  
in politia divi-  
na.

aggrediendum, cum id feliciter succedere volumus. Id. lib.  
1. de pædia, Belli iusti initia à DEI invocatione sunt faci-  
enda.

CXII. ALTERA Regula jubet, ut quatuor hominum  
generibus ex bello, ante initium pugnae, reditus in patriam  
non modo concedatur, sed etiam à præfectis ipsis impere-  
tur.

CXIII. *Primum genus est* illorum, qui domum novam  
ædificarunt, sed nondum dedicarunt. Hebræorum more  
DEDICARE significat primum inhabitare, & ibidem  
amicorum communi congratulatione aliquandiu perfrui,  
adeoque laboris exantlati fructus & gaudia prima percipe-  
re. Unde patet, olim usitatum fuisse, novas domos cum ami-  
corum, moderato convivio exhilaratorum, faustis appreca-  
tionibus quasi dedicare, & initiari.

CXIV. *Alterum genus est* illorum, qui vineas plantave-  
runt, sed nondum communes fecerunt, hoc est, easdem  
nondum quinque annis possederunt, Nam Lev. 19, 23. præ-  
cipitur, ut omnia ligna pomifera primo triennio, habeantur  
præputiata, quarto anno sanctificentur ipsi IEHOVÆ  
omnes ipsorum laudabiles fructus, quinto demum anno  
ijdem concedant in privatum usum eorum, qui ligna pomi-  
fera plantaverunt.

CXV. *Primo igitur triennio* omnium omnis generis  
plantatarum arborum fructiferarum flores impediebantur,  
ne in fructus erumperent, aut si erumperent, toto trien-  
nio præputiati seu immundi habebantur, hoc est, sacrificiis  
& esui liciti non erant.

CXVI. Lyra præ tendit causam illam, quia primitias  
arborum tanquam magis gratiosas suis Diis offerre soliti fu-  
erunt Ethnici, quod iccirco easdem abjicere DOMINVS  
jusserit, ut populum suum hoc quoque freno ab idolatria a-  
vocaret.

Sed



CXXIV. Sed verior est ratio, quam alij ex Phycis afferunt, quod hoc pacto arbores & frutices magis fertiles evadere potuerint. *Quae enim tardius fructum proferre permittuntur, ea interim plures colligunt vires, & ad justam maturitatem progressa, uberioribus pinguioribusque fructibus, colono satisfaciunt.*

CXXV. Quarto autem anno omnes laudabiles fructus sanctificabantur DOMINO, hoc est, Domino naturæ & omnium bonorum largitori, seu, ejus vice, Sacerdotibus ministris deferebantur & consecrabantur, seu propter DEUM gratis inter pauperes distribuebantur, in signum gratitudinis & obedientiæ.

CXXVI. Quinto igitur demum anno communem seu profanam vineam faciebant coloni, hoc est, pro se proque suis & alijs fructus vineæ percipiebant & divendebant pro lubitu.

CXXVII. Tertium genus est novorum sponsorum. Non tantum autem antè, sed & post consummatum matrimonium aliquantisper à bello immunes fuisse maritos novos, ex illo Deut. 24, 5, colligitur. *Quum quis acceperit uxorem novam, non egredietur ad bellum, neque injungetur illi publicum negotium; immunis erit in domo sua, anno uno, & delectabit eam.*

CXXVIII. Et benè R. Salomon apud Lyram monet in eodem c. 24, 5. *pro jure subjecta materia, hinc tantummodo agi de bello, ita ut primo anno non tantum habuerint novi mariti immunitatem à pugna, sed etiam ab onere preparandi vias proficiscentibus ad bellum, convehendi victum necessarium propugnantibus.*

CXXIX. Domi enim ipsis commissa, & ab ijs suscepta publica munera initialem matrimonij dulcedinem nihil imminuebant.

CXXX. Ex his quam optima consequentia deducitur, legitimas uxores non fuisse simul profectas ad bella, cui

D

astipu-

*Pellio. Non ceremonialis lex esse videtur, sed naturalis.*

*Quarti anni fructus de novis arboribus in Politiâ divina deferebantur sacerdotibus, vel distribuebantur pauperibus.*

*3. Ex bello ante pugnam dimittendi. Immunitas novorum maritorum primo anno.*

*Novi mariti immunes ab oneribus foris non domi.*

*Olim ad bella nullæ uxores, ne dum ullæ meretrices educabantur.*

d.lib.  
faci.

num  
riam  
dere.

ovam  
more

idem  
frui,

cipe-  
ami-

reca-

tave-

dem  
præ-

ean-  
VÆ

anno  
mi-

neris  
ntur,

ien-  
ficiis

icitas  
i fu-

VS

ia a:

Sed



astipulatur illud *singulare castitatis exemplum in Vria Hi-  
thao 2. Sam: 11. 9. 10. 11.* qui à Davide ex bello domum revoca-  
tus cum uxore concumbere noluit, imò nec in domum ipsi-  
us venire.

Romani vince-  
bent, quando  
tantum castos  
habebant mari-  
cos, & milites  
in bellis.

CXXXI. Quid verò Moses responderet, si non modò u-  
xorum aliquot cœtum, verum etiam scortorum plurima ag-  
mina in nostris bellis cerneret: ubi quomodo auxilium DEI  
invocari & impetrari queat, pij judicent.

CXXXII. In extremo die hosce accusabit *Scipio*, qui apud  
Liv: dec: 3. lib: 6. dicit Allucio, ipsius sponsum secum fu-  
isse, tanquam apud sorores & parentes: Vide etiam apud Cur-  
tium de *Alexandro* Cyri uxorem & filias captivas castissimè  
tractante.

4. Ex bello an-  
se pugnam di-  
mittendi timidi

CXXXIII. *Quartum genus est timidorum.* Iubet enim  
ut post remotos illos priores & hos posteriores tantum-  
modo ex residuis fortibus cunei fiant, seu acies instruantur,  
ad formam cuneorum seu triangulorum, ut hac figura or-  
dinati facilius subintrent & dividant aciem adversariorum.

Gideon, Iud. 7.

CXXXIV. Exemplum extat pulcherrimum *Iudic. 7. 3.* cum  
*Gideon* prima vice 22000 formidulosos demittit, & retinet  
10000 fortes sibi visos: mox verò exploraturus hosce po-  
stremos insigni utitur stratagemate, & ex flumine aquam o-  
mnes bibere jubet.

Timidi bibunt  
ut canes.

Sic sunt inepti  
ad spiritualia  
certamina, qui  
tati prejiuntur  
ad carnis volu-  
ptates.

CXXXV. *Bibunt igitur 9700* prostrati in genua, ore, si-  
ne manuum ministerio, sicut canes solent lambere aquas,  
magna item cum aviditate, quia impatientes erant sitis & bel-  
licæ molestiæ.

Fortes manu  
hauriunt aquas  
stando.

CXXXVI. *Tantummodo 300* stantes, manu hauriunt, &  
sorbent aquã, parati nimirum tolerare graviora mala, quàm  
est sitis. Ad excitandos autem torpentium animos *Muscam*  
in medijs bellis adhiberi consuetam, in sacris & profanis hi-  
storijs proditur.

Significatum



**CXXXVII.** Significatum etiam fuit præcepto de timidis dimittendis, non tentandum esse **DEUM**, & ad prælia non abeundum sine gladio, clypeo, arcu, virisque idoneis, id quod esset sese nudos, inermes atque dilaniandos hominibus exponere, sed induenda viriliter, & gestanda fortiter arma, modò nè in istis fiduciam collocent homines.

**CXXXVIII.** Etsi enim ut sine cibo nos & nostros sustinere, ita sine armis adversus hostes victoria beare poterat, tamen media nec negligi, nec tamen sola solida præsidia sanitatis vitæ & victoriæ nominari patitur.

**CXXXIX.** Cur verò quatuor ista hominum genera bellicis oneribus, & periculis exempta voluerit esse **DOMINUS**, hariolari difficile non fuerit. Nimirum quia non invidet hominibus honestam & concessam voluptatem, quam possunt capere ex laboribus manuum suarum, ex ædificatione & explantatione, aut etiam ex nuptiis. Nihil enim melius (post **DEI** agnitionem) est homini, quam ut (post labores officij exantlatos deposito omni tristi rigore) lætetur in operibus suis, quia hæc (sola per hanc vitam, omnium laborum unica compensatio, &) pars ejus est, *Ecclesiastes cap. 2. 24. 3. & 22. & 8. 15.* ita tamen, ut fiat absque **DEI** contemptu, corporis & patrimonij enervatione, & proximi scandalo ac detrimento, *Ecclesiastes 12. 1.*

**CXL.** Quin etiam nisi hoc indultum habuissent, oppida & rura stetissent vacua ædificijs, hortis, & hominibus. Interest autem ut genus humanum multiplicetur per eos, quibus data est facultas, ut ex eo frequentior colligatur Ecclesia, quæ **DEUM** in hac & in altera vita celebret, sicut *Plato* gaudebat de nato sibi filio, ut post se **DEO** cultorem relinqueret in terra.

**CXLI.** Meticulosos etiam ablegandos ideo docet, ne pavore & fuga totos conturbent exercitus & aciem dissipent.

Qui timidos educit in bellum, idem facit, ac se absq; armis vellet dimicare.

Media nec negligenda nec magnificanda.

Deus vult homines frui laboribus manuum suarum, præsertim primis, in quocumq; opere.

Convivia & hilaritates sine bibulis sunt licita & bona.

Ex conjugio etiam multiplicatur Ecclesia **CHRISTI**.



Sine dubio plura  
quàm quatuor  
genera hominũ  
ex bello ante pu-  
gnam fuerunt  
remissa.

TERTIA Re-  
gula de bello.

Omnia pacifica-  
tionum genera  
prius tentanda,  
quàm ad arma  
veniendum.

Calamitates bel-  
lorum, quarum  
auctor est is, qui  
mover bellum,  
redditurus Deo  
pro singulis R A-  
TIONEM.

Unius causa  
tam infiniti oc-  
cidentur in  
bello.

Tam infinite a-  
nimule ad uni-  
us libidinem  
mactate clamant  
ad DEVM,  
Gen. 4. 10.  
Matth. 5. 22.

CLXII. Hæc quatuor strictè observare solitos fuisse Iu-  
dæos, ex exemplo 1. Macch. 3. 56, colligimus.

CXLIII. Quamquam verò quatuor tantum genera homi-  
num ex bello expressè remittit, tamen sine dubio plura sub-  
intellexit, verbi causa, *capitalia odia inter sese exercentium,*  
*qui vix feliciter adversus hostem preliabuntur: item, qui hosti-*  
*um sunt affines & fautores,* quomodo Principes Palæstini Da-  
videm secum adversus Israëlitas ad bellum egredi non patien-  
bantur, 1. Sam. 29. & quæ his similia proferri possunt.

CXLIV. TERTIA Regula præscribit utilissimam & neces-  
sariam indicendi & gerendi belli rationem, quæ admonitio-  
nibus tribus absolvitur.

CXLV. Primum enim jubet, ut omnia alia prius experian-  
tur & tententur, quam, etiam pro aris & focis proque salutis  
publicæ emolumento valida & armata manu rem expe-  
dire & decernere aggrediantur: Et ut sub initiũ poenam me-  
ritam deprecantibus, seque sine sanguine tradentibus & pa-  
cem petentibus servitiaque sua offerentibus parcant.

CXLVI. Quid enim gravius & acerbius est, quam non  
necessarijs bellis se suosque & alios infinitis immergere ca-  
lamitatibus, temere vicinos lateffere, araria sua & aliorum ex-  
haurire, alienas ditiones perdere, suas & aliorum annonas eva-  
cuare, infinitis enormibus sceleribus, cædibus, stupris, rapinis,  
incendijs, furtis, & similibus perpetrandis fenestram aperire,  
libertatem patriam profundere, quorum omnium is, qui bellũ  
mover & incipit, prima causa dicitur, rationemque DEO  
reddere debet, qui tot liberos patribus, tot uxores maritis,  
tot parentes liberis, tot civitates inhabitatoribus exuit.

CXLVII. Quid igitur in extremo die respondebit Iulius  
Cæsar gloriari solitus, à se undecies centena nonaginta duo millia  
occisa in prælijs (bellorum civilium stragem non prodendo)  
apud Plin. lib. 7. cap. 25.

Ad eundem



CXLVIII. Ad eundē, sine dubio, scopum collimavit antiquo-  
rum mos ille, vel hinc etiam petitus, de quo apud *Erasmum in a-*  
*dagijs*, quando prius in colloquium veniebant partes, bellum  
indicebant, faciales mittebant cum præcone, num ex mora  
furores utrinque corrigi possent, milites non nisi junctos in  
castris tolerabant, nec ijs, nisi signo dato, hostem ferire con-  
cedebant, item signo alio dato occasionem percutiendi pro-  
lixiorē adimebant.

*Mora frangit  
domesticos &  
bellicos furores.*

CXLIX. Quantum humanitas & clementia in bellatore a-  
nimos etiam hostium convertat, apud *Polyænum* exemplo  
*Alexandri magni* docetur, qui tandem urbibus captis, nè u-  
num jugulari hominem patiebatur, sed obsidibus acceptis  
acquiescebat, quos secum ducebat, senes, parvulos, mulie-  
res. His ergo tanquam popularibus suis, conspectis, populi  
vicini ei omnes portas ultrò aperuerunt.

*Alexander Ma-  
gnus humanitate  
plures, victis, quā  
viribus ut se ipsi  
dederent.*

CL. Viceversa, quando *Nahas Ammonites* dextrū  
quemq; oculum singulis *Israëlitis* eruere volebat, quotquot vel sic  
de data vel vi bellica cœpisset, *1. Sam. 11.* novo sperato imperio  
excidit, & ingenti strage à Rege *Saule* vincitur.

*Nahas Ammo-  
nites crudelitate  
maximam sibi  
accersivit cata-  
mitatem.*

CLI. Ex hac prima admonitione forsan extitit to-  
to orbe vulgata parcœmia, quod supplicantes & deditij non  
possint sine piaculo violari, sicut *DEUS* ipse in *Paradyso*  
docuit, melius esse reddere rationem misericordiæ, quam  
nimis strictæ justiciæ, nedum crudelitatis.

*Huc pertinent  
Gabaonitæ Ios. 9*

CXLII. Porrò ex hac prima admonitione illud quoq; no-  
bis subjicitur perpendendum & imitandum, nimirum etiam  
privatas contentiones prius ad iudicem ordinarium non defe-  
rendas, quam tentata fuerint omnia, quæ amicabilem pri-  
vatam compositionem concernunt.

*Etiam in priva-  
tis contentionibus  
ante omnia pri-  
vata reconcilia-  
tiones tentanda  
sunt.*

CLIII. Sic enim *CHRISTUS* monet *Matth. 5. 25.* *Esto*  
*amicus adversario tuo citò, dum es in via cum eo, id quod apud*  
*Luc. 12. 58.* ita exprimitur: *Dum abis cum adversario tuo ad*  
*magistratum, in via da operam, ut libereris ab eo.* D 3 De-



Cur in bellis Is-  
raelite omnes  
masculos occi-  
dere iussi fuerint

Cruditatis in-  
hostes devictos  
exempla.  
Hannibal.  
Basilius II.  
Lotharius Gal-  
lus.

Tamerlanes.

Dracula.

CLIV. Deinde, si pacis omnes conditiones æquas, omnemque deditioem recusaverint hostes, DOMINUSQUE tibi victoriam dederit, (quæ etiam semper ipsius bonitate, nunquam justiciæ hominum, vel viribus vel prudentia, vel fortitudini eorundem debet accepta referri) tunc omnes masculos bello aptos, (unde etiam bellum redintegrari posset) occidere, mulieres, parvulos & animalia suis usibus servare, spoliaque dividere jubentur.

CLV. Noluit igitur DOMINUS pro lubitu in victos grassandi permittere licentiam victoribus, sicut apud Ethnicos & alios sæpenumerò horribilia bellicæ sævitæ spectacula contigerunt.

CLVI. Hannibal Romanos captivos fessos prima pedum parte succisa relinquebat, reliquos abducos ferro decertare cogebat, semper paria fratrum & propinquorum iungens, neque explebatur, quam ad unum victorem omnes redegisset, apud Valer: Max: lib. 9. cap. 2. Et Basilius II. Imperator apud Cuspinianum ex Zonaxa captivorum 15000 excæcavit, uno è singulis centurijs relicto *μονοφθαλμῶν*, qui reliquos domum reduceret, Et Lotharius Gallorum Rex circa annum CHRISTI 633 Saxones singulos ad gladij sui unius longitudinem mensurari, Saxonibusque singulis, qui scilicet adversus ipsum militaverant, tantum de capite, abscindi curavit, quantum gladij ipsius unius (Lotharij Regis) longitudinem vincerent apud Petr: Albin: lib. 3. Chron: Sax: & Tamerlanes Tartarorum Imperator Baiazeten II. Turcicum Imperatorem cavæ ferreæ inclusum per totam Asiam circumduxit, apud Philip: Cam: succis: 1. cap. 98. & apud Bonfinium dec: 3. lib: 10. Dracula innumeros palis Turcas præfixit, & inter eos cum amicis laute discubuit.

Verum



**CLVII.** Verum simpliciter hoc loco sufficit **DEO**, quod sufficere debet nobis, quando licuit legitimè interficere hostes. Imò quod interfectos lugere deceat, exempla nos moveant, *Davidis* Saulem interfectum deflentis 2. *Sam: 1.* Sic *Annibal* quoque Marcellum hostem honestè sepelivit, apud *Plutarchum* in *Marcello*: *Antigonum Pyrrhus*, qui filio ossa patris aureæ urnæ inclusa dedit, apud *Val: Max: lib: 5. cap: 1.* & ibidem *Antonius* Brutum liberto sepeliendum præbet. *Cæsar* quoque illachrymavit visa gemma Pompei, & execratus est afferentem caput Pompei per omnia, ut *David* occidi jubet affirmantem, se occidisse Saulem, 2. *Samuelis 1.*

*Pugna suam finem, cum jacet bestis, habet. Non est servandum in victos hostes.*

**CLVIII.** Præterea, quia non in mulieres, nec in infantes, nec in jumenta, nec in suppellectilem gladio, igne, securibus sævire concedit, sed tantum masculos interficere jubet, ibi distinguendum esse monet **DOMINUS**, inter injuriarum & rebellionis auctores, horumq; affectas conscios, nec contradicentes aut dissuadentes tanquam actores pertinaces, qui tanquam multi latrones eo jure sine commiseratione plecti possunt, quo privatum latronem unum magistratus vitæ mulctat, & inter mulieres, parvulos, adde alios, qui contradixerunt vel disvaserunt, aut qui non omnium rerum fuerunt conscij. Simili proportione in pœnis Politicis Iudices quotidie uti debent. Æquali ergò pœna dignos pronuciari in iudicio divino, observa omnes quotquot pugnarunt pertinaciter, *Duces & milites gregarios, Dominos & servos, quorum isti ceperunt seditionem movere, hi consenserunt nec contradixerunt, nec aufugerunt, nec consilia improbarunt.*

*Incipientes, non-niventes, juvantes, non contradicentes, non dissuadentes, non discedentes eis pravorum consiliabulis eadem pœna plectuntur.*

**CLIX.** Licet enim plus peccet Rex, exempli gratia, *Pharao detinens populum, aut suscipiens arma adversus populum*



*Circa in Aegypto  
in qualibet domo  
ne una excepta  
mortuus fuerit  
primogenitus.*

*DEVS jubet, ut  
in bellis Israeli-  
te seruent ani-  
malia & uten-  
silia.*

*Ius belli Deus  
vult esse limita-  
tum.*

*Quaestio.  
Inter quos sub  
Politica divina  
in bello fuerint  
distributa spolia  
bellica.*

*In Lexico.*

pulum DEI, tamen æquè punitur morte primogeniti quilibet rusticus, & immergantur aquis mari rubri omnes equites, quod non dissuaserunt Pharaoni, quod famulos ministrantes sese in iniusticia ipsi præbuere.

CLIX. Notatu verò plùs quàm dignum est, quod animalia & utensilia etiam seruari iubet inuiolata. Id quomodo nostri milites æmulentur, in aperto habetur, qui & esculenta proturbant, potulenta residua profundunt, & alia, ut antiquitates, monumenta, bibliothecas, conculcant, conterunt, perdunt, segetes accendunt, in nihilum redigunt.

CLX. Longè aliter DEUS ea omnia, quæ in hominum usum cedere possunt, à furore bellico hac lege secura, & tuta præstare voluit, ut hoc quoque pacto limitatum sit jus belli, nec omnia libidini militantium prostent.

CLXI. Spolia quod attinet, iubentur ea sibi rapere, seu inter se distribuere, ubi quaestio incidit, utrum inter exercitum, an inter totum cætum Israel diuidi debuerint.

CLXII. ILLUD quidam elegerunt, unde textum ex Ebraico ita redditum dederunt: *Omniem prædam exercitui divides.* Hoc verò alijs placet, qui respiciunt ad morem observatum *Gen. 14. Num. 31. & 1. Sam. 30.* ubi nequaquam quilibet retinuit, quod rapuerat, quæ inæqualitas summa videri poterat, nec immeritò.

CLXIII. Ceperant *Num. 31.* virginum triginta duo millia, asinorum sexaginta millia & mille, bouum septuaginta duo millia, ovium sexcenta septuaginta quinque millia, præter auri pondera, periscelides, armillas, annulos, dextralia, murenulas, seu ut inter alias significationes ex Hebræis vocem Hebraicam *מוֹד* vertit Munsterus, vulvas, qualibus aureis figuris abusi fuerant Midianitæ ad inconsuetam libidinem, qua etiam Israëlitas ad idolatriam pellexerant.

CLXIV. *1. Sam. 30.* David eandem diuidendi spolia consuetudinem,



suetudinem, olim ab Abraham & Mose usurpatam, retinuit, quæ etiam ab illo die (*forsan tum nonnihil à quibusdam neglecta*) de novo quati confirmata, & in usum redacta fuit, ut dicitur *versu 24. 25. unde emergit, hoc quoque in loco sensum legis esse, ut secundum morem antiquum spolia distribuantur, scilicet in totum Israël, tum qui ad bellum est egressus, tum qui domi desedit.*

**CLXV.** Sic læticia fiebat communis, quemadmodum communis erat metus. Et significatum fuit, non tantum illos vincere, qui præliantur hastis & securibus, sed etiam illos, qui domi precibus pugnant adversus hostes: æquum etiam esse, ut parte prædæ exhiberati singuli & universi exultentur, ad solennem gratiarum actionem pro divinitus data victoria celebrandam.

**CLXVI.** In primis ministerio Ecclesiastico honorem & gratitudinem deferri voluit **DOMINUS**, id quod imitandum erat hodie post magnas navigationes, itinera, post liberationem clementissimam ab incendijs in vicinia grassatis, nedum post bella feliciter finita. *Etsi enim ista lex (Geometrica proportionis, de æqualitate onerum, & premiorum, servandâ, pulcherrimo fundamento innixa.) nostras Politias non amplius obligat, tamen genus ejusdem in Novo Testamento sæpius, ut per spontaneæ oblationis studium, inculcatur, DEO que gratissimum accidit, Num. 31. sub finem.*

**CLXVII.** Cæterum hanc admonitionem de modo incendi & gerendi bellum, tantummodo locum habere voluit Dominus in urbibus extra terram Canaan sitis: siquidem civibus Cananæis, senibus, juvenibus, masculis, fæminis quid faciendum esset disp. 4. monstratum fuit.

**E DENI**

*Quo modo iubeantur hoc locum dividere Rotha.*

*Non tantum qui colunt agros, sed etiam qui agris destituti erant, fertilitatem à Deo impetrant: unde agricola in vendendis frugibus debent reliquis sese præbere equiores.*



*Ultima admo-  
nitio de bellis.*

CLXIX. DENIQUE arborum curam suscipit D O-  
MINUS, nec concedit, ut in bello arbores fructiferae ad  
machinas bellicas parandas succidantur, quarum rerum  
usum possunt praebere arbores aliae. Nihil etiam magis  
contra rationem esse videtur, quam non laedentem, nec pec-  
cantem, quin potius tui causa creatum, nec numeros bel-  
lantium augentem, sed postea nutrimenta tibi praebiturum,  
velle disperdere.

CLXIX. Hinc etiam orta est apud plerosque saniores po-  
pulos affinis constitutio, ut parcat in bello agricolis, & ne  
spolientur vel violentur aratra, quorum ope nemo homi-  
num carere potest. Recte Fredericus Palatinus Anno  
CHRISTI 1463. ultima Iunij aliquot Principibus ca-  
ptis, qui messes devastaverant, aliquandiu panem porrige-  
re prohibuit.

CLXX. Simul hoc pacto DEUS jubet rationem ha-  
bere posteritatis, & commendat studium illorum, qui plan-  
tant vinea, hortos, querceta, qui agros tractant, & recte  
serpentis mortuum dissipanti sepem praedicat Ecclesiastes  
cap. 10. 8.

*Virum appendix  
de arboribus non  
perdendis tantum  
pertineat ad arbo-  
res intra terram  
Canaan.*

CLXXI. Etsi aliqui existimant, hanc appendixem de ar-  
boribus fructiferis non disperdendis tantummodo ad Cha-  
naanæas urbes pertinere, tamen convenientius est, eam ex-  
tendere in genere ad urbes etiam longinquas, ubi propter te  
& posteros non debes fructiferas arbores succidere, (*ἀλλὰ,  
ut est recte in Graeco ex Hebraeo contextu redditum, sed saltem  
comedes de ipsis.*)

*Object. cum  
Res.*


CLXXII. Quod vero 2. Reg. 3. in obsidione regiae urbis  
Moab (quae & ipsa erat extra terram promissam sita) Israëli-  
tae succidunt arbores, id faciunt ex speciali mandato divino  
propter



propter summam pertinaciam & impoenitentiam populi, singulari calamitate dignam, qualis est plenaria regionis vastatio per succisas arbores fructiferas, per fontes aquarum oppletos, per agros omnes lapidibus opertos, sicut mandatur & vers.

25. cap. dicti perficitur.

FINIS, ET LAUS DEO.



Ad Dn. Respondentem  
Popularem amicissimum.

**N**atura cautum est perquam benè legibus, ut non  
Vna hominis sit mens unog, exercita ludo;  
Sed variis variet genis, ne perpetis esset  
Vniusq, orsus satagens: ceu lilia multis  
Complicibus videas campo connascier herbis.

Res loquitur: multis naturæ testibus omnem  
Demonstrare modum, faxit qui temporis aurei  
Prodigus & calami patiens, verbosius ausit  
Nil moror; at verbis gratum contractius os est,  
Sunt qui pro rostris malint: mage pulpita sunt qui

Ædis



*Ædis ament sacra: quæsdam medicina Galeni  
Delitiae: hinc aliis mentis subtilior ales  
Religio, voces Latij plerique tribules  
Auctorant regni, reliquas damnando litura,  
Vel magis exilij: quæsdam dissensus ab his est.  
Te GVILIELME, sacri vident cui pulpita templi,  
Excensere nefas illorum censeo censu,  
Et merito: egressus fueras cunabula vix dum,  
Dogmaticas agitas sacro certamine lites,  
Sic Natura suo nunquam sterilescit in agro,  
Multiplici nec dum pregnans effœtuit alvus  
Semino varias, sed parturit indole proles.  
Tu sectare igitur, tibi quos instinxerit illa,  
Affectus genij: nam nil tu (crede) Minervâ  
Occipis invitâ; pessum tibi sudor eundo  
Exudat cassus mentem curasq; reponit.*

Ioannes Fabricius Frisius  
Orientalis.





94 A 7382

ULB Halle

3

002 183 692




SB.

VD 17


21.7.99 Bd. 1











ΣΥΝΘΕΣ

Ex

# DEUTERONOMIO

## Disputatio X.

- I. De Asylis in politiâ divinâ.
- II. De terminis proximi non mutandis.
- III. De Testimoniorum numero, testium officio, & si fallant, pœnâ.
- IV. De Bellis piè gerendis.

*Ex 19. & 20. capp. Deut.*

*Ad cujus Thematâ*

*In Illustri Academia VVitebergensi*

PRÆSIDE

VVOLFGANGO FRANZIO

S.S. Theol. D. & Prof. publ. Præpo-

sito itidem templi arcis

*Respondebit*

VVILHELMUS MEIERUS NORDENSIS,

Illustrissimi Comitiss Frisæ Orientalis alumnus.

*Die 23. Aprilis in templo arcis Electoralis horis pomerid:*

WITTEBERGÆ

Typis Cratonianis, per Ioh. Gorman.

M. DC. VIII.